



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. Septimii Florentis Tertvlliani Carthaginiensis
Presbyteri, Opera Qvæ Hactenvs Reperiri Potvervnt
Omnia**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Coloniæ Agrippinæ, Anno M. DC. XVII.

Reverendo Ac Generoso Domino Dn. Iacobo Pamelio, Archidiacono Et Cano
Nico Ecclesiæ Avdomaropoli Tanæ, Theologo Ervditissimo. Domino suo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71872](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71872)



REVERENDO AC
 GENEROSO DOMINO DN. IACOBO PAMELIO, ARCHIDIACONO ET CANONICO ECCLESIAE AVDOMAROPOLITANÆ, THEOLOGO ERUDITISSIMO,

Domino suo.



QUAM quod mihi pro tuo iure nuper imperasti, virium mearum modulum excedere videbatur, amplissime Dn. Archidiacone, non potui tamen nec volui, tibi, cui plurimum debeo, et optime ex animo volo, pertinaciter refragari. Nam, quum obscuram et reconditam Proverbiorum esse, per se et uniuerse, sententiam, non ignorarem; tum in horrido et minime vulgari sermonis genere, cuiusmodi tuus utitur Tertullianus, Proverbia explicare, quæ neque hodie inter eruditos frequentantur; neque apud alios scriptores interpretes ve facile est inuenire, nisi explorata Tertulliani sententia, sepiusque iterata lectione (quod tibi vni, qui tot annos in isto Auctore versaris, omnium exactissime contigisse, ausim confirmare) longe impeditius difficilisque existimabam. Tibi proculdubio, qui doctissimis luculentissimisque omnia Tertulliani opera Commentarijs illustrasti, et hæc Proverbiales, vel Proverbiorum saltem speciem præ se gerentis formulas, scholijs (vix omnia, acutissime explicare, fuit facillimum; nisi et præcipit ante editionem Typographo, et grauioribus magisque serijs in te deuolutis et maxima Resp. negotia pretermittam, quibus ita quotidie distringaris, ut subsecuti aliquid temporis tibi ad hæc studia posse te suffragari non immerito miremur) hæc leuioris operæ et per se rudiioribus etiam pertractanda committere, et lampada, quod auunt, alijs tradere coactus esses. Quia in festinatione, quum egregiam tibi operam ponere intelligerem Dn. Michaelem Ingelmontium, Brugensem tuo beneficio Canonicum, qui tibi toto hoc in opere assiduus fuit à manibus, et in Indicibus vna tecum dirigendis, studium adhibuit singulare, popularis mei exemplo, qui cum et ego multis nominibus tibi essem obstructus; ad aliquid etiam operæ tuo præsertim iussu, T. D. ponendum, quantumuis curæ suppellectilis mihi probe conscius, quodam veluti emulationis studio sum animatus. Fraque Proverbialium formularum, quas in ordinem redactas, excerptasque mihi præscripsisti, partim breuius, partim prolixius, pro re (nisi fallor) explicuimus. Quæ omnia tamen limatissimo tuo iudicio, et censorie eruditionis obeliscis lubentissimi permittimus. Ceterum Deus Opt. Max. T. D. diu Ecclesie nobisque seruet incolumem. Apud Atrebatas Kalend. Januarijs. 1583.

R. D. T. addictissimus,
 Andreas Hoyus Brugenfis.